



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Lydwina V. 14. Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

deinceps fuit eorum, qui hostem Cupidinē fugerent. Nimirum jam antè cœcutiens puer oculis suis timet. *Ex Men.*

S. LYDWINA V. 14. *Aprilis.*

LYDWINA formam obesse castitati lvidens, dignum virgine rata est votum, deformitatem à cælo petere. Audiit hoc, & omnia morborum examina misit: iis ita omnis gratia defluxit, ut nemini jam placeret cadaver domum ducere. Sed sic illa demum formosa CHRISTO visa est. Hic ex amantibus solus jam agræ cum MATRE assidere; solus amoris sui & patientiæ symbola per Angelos lectulum ambientes ostentare: quorum certè unâ recordatione LYDWINA cruciatus suprâ quàm dici aut credi potest, graves, facile tamen omnes redimebat. Genium tutelarem ducem ad ea loca, quæ CHRISTVS olim præsentia suâ nobilitavit, ad purgantes item flammæ & beatas sedes habuit. Ab eodem donum è primi parentis horto lignum tulit odore nobile: ut inde una jam vel virginitas vel patientia sperare quid posse videatur. In subsidium pauperum ipsa pauperissima peculiū tamen corrogabat, & IESV *crumenam* dictitabat; cui profectò omnes, cū audient, avari inuidebunt, quippe quæ exhauriri nunquam potuit. Homini facinoroso suasit, plumis in

tinum latus noctem incumberet. Risit ille, sed cum hoc in plumis non posset, ne in flammis olim posse cogeretur, fleuit deinceps. At LYDWINA anno Christi MCCCCXXX. ægritudinis assidua ac multiplicis XXXVIII. cum id dolorum incrementum impetrasset, ut ignibus nihil superesset piandum, mortua tandem est, vel, ut rectius loquar, tandem desit mori. Ex Io. Bruggmano.

S. FRONTO ABB. 14. Aprilis.

Ridiculi homines, morituri ne moriamur fame, extimescimus. Commeatum in annos comportamus, diem victuri: horrea fruimus, sepulchrum subituri, formicæ dicam an homines? Nimirum qui vitam dedit, victum vitæ extra urbis fora non poterit dare? Quasi verò si ille velit, etiam inter medias epulas non Midæ, inter aquas non Tantali simus? contra, ubi ille velit, non aëre seges exurgat, in fonte vinea? Certè rupem aquam dedisse memini, cumq; terra negaret, panes cælo pluisset etiam in deserto. Ite Reges, castra culinæ fruite, aciem coquorum ducite, famem oppugnaturi. Vincam ego vestram superbiam, aut nemo, aut cælum mihi opsonabit. Hæc aut similia his cum animo suo FRONTO; hæc ad pulcherrimi propositi socios LXX. quos omnes secum ex urbe in loca deserta

ab